



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

IV. Natalis vocatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

brofis insidiantium sibi feminatum; alterum probant quos ante alebat communes cum Ignatio sensus de adeunda Palæstina, & infidelibus illic omni ope ad Christum adducendis; quæ mens illum prius Ignatio adstrinxit, quam Salmeronem & Lainium: Hanc enim cum eo dum communicaret aliquando consilij gratia, ut idem cognouit Ignatio inesse, iamque propterea illic nauigasse, & nunc colligere socios ad profectiorem cum iis iterandam, componi rem cœlitus credidit, nec absque Dei nutu, Regis Lusitani iussu, & sumptibus ad Parisiensem Academiam missum, ut se Ignatio in socium daret: ita se illi absque vlla mora penitus commisit, cuius tenacitatem propositi Exercitiis spiritus arctius obligauit, in quibus etsi ob valetudinem ex morbo debilem, asperitatis sociorum non potuit assequi, sed liquidius perspexit Deum velle, ut sibi ex forma Ignatij inferiret.

Fuere hi sex, Patriarchæ nono Parisiis filij; tres alij postquam inde abscessit; nam præter hos quendam tunc valde optatum, nisi post annos aliquot obtinere non potuit. Erat is Hieronymus Natalis. Maiorica ortus, de cuius aduersus Ignatium refractatio primum; tum docili genio hic à me oportet edisseri, ne si partem illius in suum tempus reiecero, quod dicam admutilatum displiceat. Iis fuit conditionibus Natalis, ut summa omnia ad Dei gloriam adeptus vno egeret Ignatio, cuius Apostolico instinctu moueretur: & inuitatus quidem ab illo est; sed prius, ac multo validius à Fabro, & Lainio: verum petitiones illorum omnes alacris exiuit. Successit his Emanuel Miona animarum piscator egregius, & confessiones Ignatij audire solitus, nam & Natalem sibi confitentem audiebat. Verum ut ab se reposci aduertit, cuius ne mentionem quidem sustinebat, tueri se indignatione, cum rationibus non posset, cepit; & cur sibi tantoperè suaderet Miona, quod ipse non faceret? si tantum inerat cum Ignatio boni, prior sibi ad illud præiret; tum se ab illo accersitum, consideraturum quid facto opus. Sic spebus his quoque euanidis, tentare ad vltimum si quid posset Ignatius voluit, ut cui doleret vehementer tantarum pro Deo partium iuuenem sæculo cedere. Die igitur quodam opportunè in illum incidens, in vetus sacellum quasi aliud agens cum illo subit, ut absque interpellatore, cum eo aliquid de Deo sermocinaretur, quod ubi fecisset aliquamdiu, Epistolam profert bene longam, & fortem qua fratris filium urgebat, ut mallet Christo quam mundo seruire. Hanc porrò Natali Epistolam uti amico, & familiari dum tractim, & lentè perlegit, insistens etiam nonnullis grauioribus commentandis, captansque hamo vno duos, fratris filium, & Natalem; sensit hic se interius pungi, moxque scilicet præda fieri metuens, suspicari se dolum finxit; re autem vera, Deum Deo opponens, libram producit Euangeliorum, eumque Ignatio ostentans, hunc, inquit, mihi certum est sequi, & hic abundè est: si præstantius nihil habes, frustra es, nec ego te sequar, hætenus quidem tu, ac tui qui sitis, haud scio (vestrum enim, vobiscum arcanum, habetis soli, & intelligitis)

IV.

Natalis vocationis.

N 3 qui

qui verò futuri in posterum sitis, multo minus id noui. Cùmque his propriens sese, deinceps Ignatij, eiusque sociorum accessum quemlibet incatamenta videlicet eorum metuens, vitauit. Indè reuersus in patriam decem plus annis fluctuauit, vt qui in ea quam consecratur probitate parabili non acquiesceret, nec ab se tamen satis impetraret, vt vellet excellentiorem, neque etiam ipsi (vnde olim Ignatio insultarat) Euangelium satisfacerebat, Angelum optasset eius interpretem, qui sibi iuratus affereret præceptum de cruce post Christum ferenda ad se pertinere: hæc enim fere est illorum pœna qui spernunt vocantem per homines Deum, vt incassum expectent moneri ab Angelis, vel prodigiosa aliqua specie percelli, & miseram interim seruitutem sæculo seruiant. Quasi sit tam periculosum Christum propius sequi, vt declinando periculo imperiis velint ipsomet à Deo editis compelli. Vfus est tamen solitarij cuiusdam consuetudine Natalis quem ipse plurimi faciebat; verùm ad aliquam dumtaxat colligendi sui, orandique opportunitatem, cuius etiam fructum, à priuato profectu, in aliorum quoque deriuauit salutem. Meditatus est enim sociorum aliquot delectum, quibus secum egregiè à virtute instructis, plurimos iuuaret. Nec animaduertit, quos vocabat, quod Ignatio dixerat, multo sibi æquius obiecturos, ostentatòque Euangelio dicturos, esse hoc vno perfecte viuendi ductore contentos, quo nihil haberet ipse præstantius. Interea rerum coalescens, & ritè fundata Societas cum sole iam manus extenderat, dabatque Xauerius vsque ab Indiis in Europam ad Ignatium, & socios literas, quibus significabat, quàm multa in dies infidelium millia se ministro Deus ad fidem adduceret. Harum exemplum Maioricam, cum fortè perlatum passim legeretur, venit etiam in Natalis manus, id auide perlegens, vidit Xauerium, probè sibi Parisiis notum inter Ignatij socios (de quibus dixerat, nescire se quid futurum iis esset) factum esse Indorum Apostolum; ad hæc in canonem Ordinum Religiosorum Societatem à Christi Vicario adlectam, nam iisdem literis, eius quoque rei gratias agebat Xauerius; & redeuntibus quæ olim Parisiis indignans Ignatio dixerat, pugno mensam cadens exclamauit, hoc vero planè aliquid est. Ac recipiens sese, mox iter Parisios suscepit, quo illum etiam, suus ille quem dixi solitarius, Antonius nomine animauit. Proficiscendi causa fuit, renuendi Ignatij ardor, proficiendique sancta illius institutione, haudquaquam tamen ei adhærendi; quæstus imò est apud Ignatium quod esset ab Lainio, & Domeneco ad Exercitia inuitatus, hoc est, vt aiebat ad Societatem, cui nec parem virtutem, nec dotes condignas habere se crederet. Verùm Ignatius de Exercitijs animos addidit; de Societate vetuit esse sollicitum; Dei negotium id esse; ab eo ad illam si euocaretur prouidè quoque ab eo in illa occupandum. Diu secum pertinaci lucta in Exercitijs pugnavit; quippe illa ingressus, animo tantum non obfirmato reiiciendi ab se quicquid sibi ratiocinant; pro ea occurreret, certusque vt olim vocanti non parere, nisi certò vocari se sciret, vel sensu aliquo deprehenderet vocantem. Exstimulabat

labat tamen illum Deus, nolens alio in Societatem, quam interiori suo impulsu adigi, quo solet homines tacite affari: contra ille secum & cum Deo luctari, stipate paginas rationibus in vtramque partem, an se adiutus esset Ignatio, an secus: Verumenimvero, meditandis vexillorum duorum conditionibus diversis, tandem aliquando tunc Deo cessit, cum minimè omnium facturus videretur. Nam versandis quæ ad Christi vexillum optandum impellunt (quæ scopus est eius contemplationis) in ipso eius legendi articulo, tam perplexè dirèque exagitatus est, ut deficiente lassitudini capite; & angustiis animo, nihil abfuerit propius, quam ut omnia desperaret, atque abiiceret. Sed ea demum noctis hora quam velut vltimum conatū eidem impendit cogitationi, Deo propitiis oculis perturbatū animum seranante, & purgante se in apertum nube, tempestas momento posuit: eius autem loco tantum flumen diuinæ consolationis mentem inundauit, ut sumpto mox calamo in Dei conspectu de genibus hæc verba scripserit. [Hoc demum ex iis de quibus hætenus altercatus sum mecum, certò conficio, omnium est quæ me à Christo auocabant, nihil tanti est, ut mea dignum sit refutatione: quin & iis etiam quibus primum ab eo auocabar, ad eum nunc vrgeor, atque corrobore: nam ex serio omnium diligentique examine, id mihi constitit, nulla me dubitatione, pugnaque, iactatū, nisi quàm priuatus mei amor, & abhorrens à cruce, sensus corporis excitarunt. Nunc tantò certius Deum intelligo id à me reposcere, quantum pertinacius caro mundusque resistat, quibus sapere nihil potest, quod pietatem cælumque sapiat. Quare obsistat licet quicquid potest mortali, durum asperumque accidere, quicquid cacodæmon suggerere, nedum quicquid me hætenus tenuit; In nomine sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti decerno, & statuo, Evangelicæ sectari consilia, & in votis Societatis Iesu vitam traducere, paratus quæcumque in ea seruantur religiosè obseruare, & ad illa me voto, si à me exigitur alligare, cuius mei propositi fidem, cum summa reuerentia, & tremore, magna illa consilij Christi misericordia, cuius nunc capio tam certa inditia, tota mente, totoque animi conatu, voti Religione stabilio, huius Deo sit gloria. Amen. Hoc die Nouembris vigesimo tertio, Exercitiorum decimo octauo] quod sponderat exsoluit, Societatem amplexus est, in qua illi (quod præmonuerat Ignatius) non defuere occupationes, in Italia, Sicilia, Hispania, Lusitania, Africa, animorum saluti perutiles, & qui primam laudem sibi excidere passus est, ut Societatem cum primis Ignatij sociis constitueret quod semper deinceps doluit; secundam adeptus est, ut in eius gubernatione fieret Ignatij adiutor, & in constitutionibus explicandis, quas per magnam Europæ partem ipsemet promulgauit.

Hoc tam felici commilitonum fortium delectu, vidit Ignatius sua iam posse consilia exire, si ut animo secum coniunctissimos habebat singulos, sic inter se secum in eundem finem conuenirent, nemo dum enim erat alterius conscius, sed solum se quisque in suo proposito credebat. Ut

ergo

V.

*Prima cum  
sociis Ignatij  
deliberatio de  
incunda  
vniuersi formæ  
vita.*